



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Sectio IV. Quid operentur clausulæ generales revocatoriæ secundo ordine positæ, præcipuè circa Tridentinum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

& loquerentur de omnibus casibus, jam consuetudo, & stylus novus oppositum obtinuit; & sic manent revocatae per usum contrarium dictae explanationes.

224. 30. Ad illud autem, quod potest objici ex secunda sententia desumptum ex clausula Concilii, *relinquentis omnia in eo contenta* (praeter definitiones) *dispositioni & voluntati Romani Pontificis*, facile responderetur; quod ibi nulla major facultas conceditur ei, quam haberet, etiam si talis clausula non apponeretur, sicut habet eandem, circa omnia statuta aliorum Conciliorum Generalium talem clausulam non habentium; sed ibi posita fuit expressè, quae in aliis implicitè continebatur. Quis enim rationabiliter dubitare potest, quod Papa habet absolutam potestatem supra statuta Conciliorum Generalium, & quod sicut suae auctoritatis est dare valorem talibus statutis; sic ea poterit facere invalida, quando recta ratio id postulaverit; unde nihil contra nostram assertionem.

31. Quid autem sentiendum sit, quando in derogatione novi statuti, seu privilegii adsunt clausulae posita in secunda classe *supra sect. 2. num. 7. hujus disputationis*, & similes, *sectio sequens* declarabit.

SECTIO IV.

Quid operentur clausulae generales revocatoriae in secundo ordine posita, praecipue circa Tridentinum.

225. 1. **D**ivisimus clausulas generales in duas classes *sect. 2. num. 7. hujus*

disputationis, & de primis egritus hucusque, nunc agendum restat de secundis, & ut à claritate intenta minimè recedamus, repetam illas, & sunt hujusmodi: *Non obstantibus quibuscunque privilegijs, etiam si de eis de verbo ad verbum mentio fieri debeat, vel quorum tenores pro expressis habentes, vel non obstante quocunque privilegio, sub quacunque forma concessio: vel non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, vel etiam cujuscunque Concilij provincialis seu generalis, & similia.*

2. Dubitatur ergo, an quando in revocatoria alicujus novi privilegii, seu statuti adest aliqua ex dictis clausulis, vel omnes simul, intelligantur revocata quaecunque antecedentia; sive in jure communi, sive in Conciliis generalibus; etiam in Tridentino, & denique in aliis quibusvis privilegijs, sive Religiosis in communi, sive alicui personae particulari concessis, excipiendo semper illa, quae in contractu oneroso fundantur, vel jus tertii laedunt in re gravi temporali acquisita, & possessa; taliter, quod omnes dictae clausulae, & quaelibet illarum, respectu privilegiorum & statutorum antecedentium quomodolibet concessorum, operentur idem ac operantur clausulae formales specificae; ex eo quod aequivalenter reputantur tales, & sic revocent quodlibet privilegium antecedens, quaecunque clausulas derogatorias derogatariorum, & restrictivas urgentissimas habentes. Intellige in omni, & solo eo, quod novum privilegium clarè contrariatur antiquo, & sine cujus derogatione novum non potest habere effectum quem petit ex proprietate sermonis;

226.

nis; nam quando illum habere potest, servanda est indemnitas prioris legis, privilegii, seu statuti juxta qualitatem materiæ. Quod addo propter ea, quæ diximus *disp. 1. sect. 2. n. 1. & 2.* & dicemus *sect. 3. n. 9.* Nam contra purè favorabilia, maximè quæ animarum salutem respiciunt, restringendæ sunt revocationes, sicut concessionès ampliandæ, quantum fieri potest, non solum secundum naturalem significationem verborum, verum & secundum civilem, ut *ibi* diximus, & ut cum majori claritate procedamus,

227. 3. Supponendum est *primùm*, tanquam omninò necessarium, quòd in sententiis relatis *suprà sect. 3. num. 3. usque ad num. 6. inclusivè*, non solum omnes, sed quælibet seorsim, ex relatis clausulis *num. 1. hujus sectionis*. Sufficiat ad derogandum cuilibet antecedenti contrariæ dispositioni novæ; etiam inclusæ in Tridentino, quia si de qualibet clausula generalissima derogatoria id sentiunt Authores relati, multò magis sentient de istis, cum revera magis accedant ad specificas, & sapiant naturam illarum.

228. 4. *Secundò* supponendum est, quòd in sententia Sanchez, & aliorum, nulla clausula ex relatis, neque omnes simul sunt sufficientes ad derogandum dispositis in Tridentino, sed omninò requiritur mentio expressa, & individualis illius, & hanc sequuntur præter relatos *suprà sect. 3. n. 18.* omnes, qui defendunt, per Bullam Cænæ Domini non derogari potestati concessæ à Tridentino DD. Episcopis absolvendi à casibus occultis, etiam ab hæresi, quia nunc dicta Bulla expressa mentio ipsi

Tridentini, sed de hoc modò non disputo. Itaque hanc differentiam constituunt isti Authores inter Tridentinum, & alia Concilia Generalia, quòd ad derogandum istis, sufficit mentio Conciliorum Generalium in còmuni, at verò ad derogandum illi, videlicet Tridentino, requiritur specifica & individualis.

5. Quibus suppositis. Dico *primò*, per clausulas, *Non obstantibus quibuscunque privilegij, etiam si de eis de verbo ad verbum mentio fieri petatur, in prioribus statutis, seu privilegij*, revocantur quæcunque privilegia inserta in jure communi, & in qualibet Bulla, seu concessione, tam respectu Communitatis, quàm respectu personæ privatæ, in omnibus, in quibus contrariantur, neque secundum proprietatem verborum, possunt conciliari, aliàs frustranea est talis revocatio, cum nihil revocaret, Non enim esset major ratio unius, quàm alterius, supposito quòd nullum in individuo nominatur in tali revocatione generali, quod absurdum est dicere. Et idem est dicendum, quando Pontifex condit aliquam legem, statutum, aut Bullam correctoriam præcedentiù concessionum, esset omninò ferimè impossibile, & omninò intolerabile obligare Pontificem, ut omnia privilegia, quæ revocare vult, insereret de verbo ad verbum in nova Constitutione. Unde supradicta clausula licet non sit formaliter specifica & individualis respectu cujuslibet statuti, seu privilegii revocandi, est æquivalenter specifica & individualis respectu cujuslibet. Ita communiter Doctores, quod maximè verum est, quando cum tali clausula cõjungitur alia: *Ex certa sciëntia, de plenitudine potestatis, &*

229.



motu proprio. Et idem dicendum est de clausula: *Non obstante quocunque privilegio, sub quacunque forma verborum concessio, vel omnibus pro expressu habitis.* De clausula autem: *Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis,* multi idem affirmant, alii negant cum Palao, utrumque probabile, si nihil aliud exprimat.

230.

6. Est tamen advertendum, Primò, ex sententia Suar. *suprà relata*, quòd in Bullis, seu decretis correctivis antecedentium concessionum, cum odiosa sint, non debent extendi revocationis, sed restringi, quantum patitur proprietates verborum, secundum significationem naturalem; at in concessionibus gratiosis, & quæ nulli nocent, debent extendi etiam secundum significationem civilem, quam juxta modum loquendi possunt habere, dummodo ad exorbitantia & inusitata non extendantur, ut *disputatione de confirmatione* dicemus.

231.

7. Dico secundò, dictæ clausulæ licet sufficiant ad derogandum Conciliis Provincialibus, seu Nationalibus, sed non Generalibus, nisi saltem fiat in communi mentio Conciliorum Generalium, exceptis casibus *sect. 3.* assignatis. Respectu verò Tridentini, nisi

fiat mentio specifica & individualis illius, juxta dicta *sect. 3. à num. 25.* & sic nihil faciunt propter rationes ibi assignatas, præter calus *eodem loco, nu. 28.* admissos. Itaque ad derogandum cuilibet privilegio, seu statuto, tam extrinsecam quam intra jus commune, suffiunt dictæ clausulæ generales. Ad derogandum verò Concilio Generali, requiritur mentio Concilii generalis, saltem in communi. Ad derogandum autem Tridentino, requiritur mentio specifica & individualis, facta saltem in narrativa ab impetrante, sive verbo, sive scripto, & in rebus, quæ communiter conceduntur, semper præsumitur præcessisse, & sic credendum est præcessisse in concessione Pij V. circa validitatem professionis Monialis, in articulo mortis constituta, ante adimplerionem anni novitiatus, & præcedere in quotidianis concessionibus, quæ nullum effectum possunt habere, nisi alicui dispositioni Tridentini derogando, quia sic stylus Curia jam obtinuit, per quod facillimo negotio respondebimus fundamentis, in contrarium adductis.